(14

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CATAMENIIS ET QUIBUSDAM MORBIS UTERI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS FRED. GUL. HEYDELOFF,

Anglus,

PERMISSUS ARTI OBSTETRICIÆ

SOCIUS EXTRAORDINARIUS SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ, EDINBURGENÆ.

"Mulier quæ patietur menstrua, septem dies seorsum degito; eam quisquis tetigerit, pollutus esto ad vesperum."

LEVITICUS, cap. xv. v. 19.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

JOANNI THATCHER, M.D.

COLLEGII MEDICORUM REGII SOCIO,

COLLEGII CHIRURGORUM REGII SOCIO,

REGIÆ SOCIETATIS MEDICÆ SOCIO EXTRAORDINARIO,

DE ARTE OBSTETRICIA, MORBISQUE

FŒMINIS ET INFANTIBUS PROPRIIS, PRÆLECTORI,

INSTITUTIONIS PUERPERARUM EDINBURGI MEDICO;

VIRO

Non minus ob literarum scientiam moresque cultissimos, quam notitiam summam illius medicinæ partis, quæ ei ordinem in societate contulit, quem summis cum laudibus tenet, insigni, qui maxima benevolentia et liberalitate de pauperibus quam optime meretur, et inter ditiores, ob vim aciemque in periculis ægrotarum promptissimam, summopere deligitur; paginæ, quæ sequuntur, animi beneficiorum haud immemoris argumentum, maxima cum observantia,

AB AUCTORE

DISCIPULO

DEDICANTUR.

JOANNI MOURYLIAN, Armigero,

DE SANDOVICO,

IN COMITATU

CANTII,

S. P. D.

Accipe, mi dilecte amice, hoc opusculum, æstimationis maximæ testimonium, itemque amicitiæ, quam tempus non minuit, sed magis etiam stabilivit. Recordatio multæ felicitatis tecum, qui non verbis modo sed rebus amicum te mihi præstisti, susceptæ, gratias auctoris sinceras evocat, memoriamque temporis præteriti in animo ejus sempiternam reddit. Diu observantiâ eorum, qui non mirari virtutes tuas nequeunt, fruaris; diu vivas valeasque tibi decus, aliis beneficium, et tandem in cœlum serus redeas.—Vale.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATAMENIIS MORBISQUE UTERI QUIBUSDAM.

Auctore HENRICO F. G. HEYDELOFF.

SECRETIO quam selegi pro argumento meæ Dissertationis Inauguralis a Græcis Καταμηνια vocata erat, latinis menses, quia singulis mensibus revertit. Ubi primum catamenia existunt puella dicitur ad ætatem pubertatis pervenisse. Tempus vitæ autem quo existere incipit est diversum in diversis locis; sub arcticis regionibus menses in fœminis haud fluere dicuntur donec annum vigesimum vel vigesimum secundum agunt. Sed in calidioribus locis hic fluxus sese ostendit anno nono vel decimo, modo

citius, modo serius, sed raro ante duodecimum aut post octavum decimum annum ætatis. Cum hæc secretio invaserit, semel per mensem recursat, quibusdam exceptis : quippe habitum est pro certo nonnullas fluxum bis per singulos menses terve per binos menses habuisse. Primus ortus hujus fluxus tam aliis causis quam varietatibus cœli multum afficitur. Quæ habitant frequentes urbes, luxuque vivunt, fluxum habent multo maturius copiosiusque quam quæ laborant, rura incolunt, temperantiamque observant. In quibusdam menses facilius aliis fluunt afferentes parvam molestiam nullamve, aliæ autem magnopere vexantur. Interdum etiam varia morbida symptomata manent similia phthisi pulmonali.

Menses plerumque fluere pergunt donec fœminæ annum quadragesimum et sextum egerunt, quinquagesimus aliis scriptoribus placet. HEBERDEN in suis commentariis narrat, " In nonnullis quas ipse novit menses profluere donec annum sexagesimum acquisiverunt," in alia parte ejusdem libri etiamque dicit, " Menses, cessantes tempore fixo natura profluere, apud annum sexagesimum septuagesimum etiamve octogesimum redire possint." MAGENDIE etiam his verbis utitur, " Des femmes chez qui les regles avaient cessé à l'epoque ordinaire, les ont vues reparaitre à 70 ou 80 ans, et sont

devenues meres; enfin, des femmes chez qui la menstruation ne s'est jamais montrée n'en ont pas été moins fécondes." Fluxus hac ætate incipiens rarius tamen Catamenia sunt, sed tantum abnormis profluvium sanguinis ab utero progrediens, aut vicinis locis morbo affectis; tria exempla ipse vidi in quibus fœminæ (ut ipsarum verbis utar) rursus esse adolescentes se putaverunt; quædam uteri carcinomate plectebatur, in iis primo fluxus parvo in modo fluxit, postremo in magno rivo fluidus repertus est sanguis.

SYMPTOMATA.

Tempore quo menses primo apparent, multæ miræque mutationes corpus afficiunt, major copia sanguinis ad uterum et mammas fertur, quæ protinus augentur, organa quæ inserviunt generationi magnitudine crescunt, mons veneris capillis tegitur; animus quoque maxime afficitur, adolescentula avide nuptias petit, et varia signa valetudinis incommodæ sæpe observantur. Appetitus cibi diminutus, oculi hebetes fiunt margine cæruleo circumscripti, exanthemata apparent; halitus fit fœtidus, magna prostratio virium adest, tussis urget, motus sanguinis impeditus est, dorsi dolor cum sensu molestiæ pelvis, præcipue inguinum, et sensus

caloris pruritusque labiorum pudendi vexant; fluxus alvi plerumque solutus, dolor reddendi urinam; nunc quoque hysteria, fluxus mucosus vel lymphaticus interdum cernitur. Labia intumescunt et eruptione aliquando teguntur. Vaginæ calor sensusque aucti. Hæmorrhoides externe interneque, cephalalgia, respiratio anxia, inquietudo, somni horrifici, somnolentia, palpitatio cordis, ægritudo, tormina, dolores quoque ima in parte abdominis deorsum jaculantes urgent.

Symptomata quæ supra dixi non semper fluxum mensium indicant nam interdum nullus adest. Fluxus serosus remissionem signorum sequitur, tum fluxus (menses vocatus) oritur, datque valetudinem fœminæ.

MODUS SECRETIONIS SPATIUMQUE TEMPORIS.

Linnæus affirmat menses in fœminis Lapponiæ tantummodo semel bisve in anno profluere, modumque sex uncias quovis tempore nunquam superare.

In Britannia autem modus est varius, plerumque circiter quatuor vel sex, raro in valetudine sana plus quam sex aut octo uncias. Hippocrates proponit modum multo majorem et æqualem viginti unciis Anglicis. Astruc

scribit sexdecim uncias sine morbo profluere. Putandum est mihi aliquem errorem hic latere, et fœminas de quibus scripsit majorem fluxum quam nostrates habere. Modus magis ex habitu quam valetudine pendere videtur. Modus vivendi et sodales menses magnopere afficiunt: quæ multo carnis utuntur majorem fluxum habent iis quæ frugibus vivunt. Observatum est pauperes rusticas, puellas parsimoniæ, et parvo fluxui mensium assuetas cum ad oppidum migraverint, ut in magnificis familiis servæ sint cito fluxum multo magis copiosum quam antea habere; diuturnitas fluxûs varia est, in nonnullis per octo dies, in aliis unum tantummodo, in hac regione tres aut quatuor dies, si diutius manent aliquis morbus timendus est. Catameniæ plerumque semel in mense redeunt in fœminis plurimum enervatis bis in mense, pauca exempla hujus vidi. Sed in valetudine sana hæc nequaquam generalia, mirabili æqualitate recursant, adeo ut fœminæ in diem scire possint quando menses redibunt. Hæc secretio similis venoso sanguini est, sed proprium odorem habet, et nunquam coagulat. Hymene imperforato, in vagina sæpe congesta est etiamque tum nunquam reperta in concreto statu: hâc ipsâ re fluxus mensium ab omnibus morbis uteri facile dijudicabitur.

UNDE FLUXUS VENIAT.

Per graviditatem nullum esse fluxum dicitur: alii affirmant menses interdum fluere per tres primas menses graviditatis: alii negant id posse fieri, quia os uteri firme clauditur quasi obsignatum sapienter decretum, quo minus ovum recens formatum elabatur; si igitur menses ab interna facie uteri manant, osque uteri per graviditatem clauditur, manifestum est nullum fluidum posse erumpere. Sed contra, si menses non solum ab utero sed etiam a superiori parte vaginæ manent (ut alii cogitant) profecto tum credamus id posse fieri. Puto haud dubitandum esse quin menses ab interna facie uteri fluant, ut ratio ipsa docet observationesque scriptorum confirmant. Exempla videntur in prolapsu uteri, Jacobus Hamilton Professor artis obstetriciæ in suis prælectionibus in fœmina prolapsu uteri vexata valetudinarii Edinensis ægra de hac re his verbis utitur. "We have reason to believe that the menses flow from the open mouths of blood-vessels in the inner surface of the uterus, little skinny substances are frequently formed, and are discharged with difficulty." Winslow, Spigelius, Mauriceau, Little, et Morgag-

NI, omnes de hac re consentiunt. WINSLOW dicit internam tunicam uteri parvis capillis tegi tenuissimis, et quasi similibus panno, et in iis quæ per menses moriuntur capillos sanguine cinctos inveniri.

CAUSÆ.

De causis mensium me dare plenam enumerationem haud necesse est qualis impulsus lunæ, ut erat opinio Doctoris MEAD; si ea sit causa tantum rogarem cur fœminæ non est pariter ac lunæ habentis partes a sole varie diversis temporibus illustratas? Secundum alios quia uterus oblique ponitur, satis causæ est; licet rogare quomodo fit, ut menses non æque fluant plantis pedum? Hæ opiniones ineptæ; igitur paucis verbis commonefaciam sequentia.

1. Imprimis, Generalis plethora, ut causa mensium dicitur, fœminas a natura ad parturiendum constitutas majorem modum sanguinis quam necessarius est suo corpori; perpetuam plethoram fore nocentem, igitur naturam fixo tempore evacuationem facere, utero ad id idoneo, quia situs est obliquus et nullo alio munere fungitur nisi per graviditatem. Symptomata plethoræ ad turbandum ventriculum sæpe oriuntur.

Contra, mensibus suppressis, inducendo plethoram eos non possumus revocare; nec venæsectione nec nulla alia evacuatione possumus claudere fluxum. Suppressionem mensium sæpe videmus in plethoricis: dum fœminæ plurimum enervatæ fluxum habent, interdum etiam in Phthisi Pulmonali. Quamvis symptomata quæ menses antecedunt vicario fluxu levantur, tamen sine ullo quoque sæpe levantur.

2. Localis Plethora. Hæc erat opinio HALLER, CULLEN, et VAN SWIETEN, sed credo Doctorem SIMPSON de Sancta Andreapoli eam primo attulisse in medium. Incremento ullius partis progrediente major copia sanguinis ei parti sine dubio necessaria est. Uterus nullius usus donec ætas pubertatis pervenerit, igitur usque ad id tempus impetus sanguinis ad uterum non mittitur, ad id tempus tunicæ arteriarum plurimum dissimiles iis venarum quæ multo densiores: igitur plethora arteriarum adest, transitus sanguinis ab arteriis in venas fit difficilis, extrema arteriarum distensa, et hæmorrhagia (vocata catamenia) sequitur: eadem causa repetita menses iterum effunduntur, et consuetudine fixis temporibus redeunt.

Contra, est revera major impetus ad uterum; sed si Catamenia hac sola causa niterentur pro-

fecto tum fluxus foret sanguis arteriarum; res non ita est, quia haud similis etiam colore. *Richerand sanguinem arteriarum putavit.*

3. Veneris Libido. Hæc placuit Doctori EMMET: apparuit illi sanguinis copiam ad uterum fluere propter quasdam cupidines, eamque in cavernosa structura uteri accumulari, uterum postea se contrahere, eamque expellere.

Contra, hæc ficta cavernosa structura nunquam reperitur, nutrices lactantes easdem libidines possident, et menses non habent. In nymphomania fluxus impeditur, et amenorrhœa ut symptoma morbi plerumque urget.

4. Secretio. HUNTER primus omnium hanc elegit causam, sed Dr. CRAVEN in sua dissertatione inaugurali in medium attulit. Argumenta ex colore et compositione mensium deducuntur, ex distributione vasorum in utero, ex augmine fluxus, calore, ejusque suppressione, frigore, comparatione quoque aliarum secretionum; ut similius fluxus est in animalibus dum tempus coitûs durat. Contra, manifestum est menses in compositione glandularum cervicis uteri nihil possidere, quia hæmorrhagia ab utero sæpe accedit, et fluidum missum est

simile sanguini et admodum Catameniis dissimile.

In toto videtur mihi doctrinam secretionum optimam esse omnium. De causis mensium multum acceptum argumentum proponere possum. Olim Catamenia in effectibus habebantur nocentia. Doctor HAMILTON notat in quibusdam partibus Scotiae, credi tactum fœminæ per menses facere abortum, aut infeliciter efficere adeo ut concoctio cerevisiæ, vel confectio succi baccaram (Anglice jelly) perdantur. Hæc inepta et superstitiosa dicta rejici merentur; bene cognitum est autem Catamenia dotes nullas lethales tenere, fluidum evadere acre, motu cessante, nemo est qui negat.

Usus. Usus profecto videtur, uterum aptare ad perfungendum ejus officiis, sed quomodo hoc efficiatur haud bene intelligitur, et certe vix noscitur, at scimus suppressionem mensium eorumve fluxum abnormem facere infœcunditatem. Dr. CRAVEN cogitavit aliquid a Catameniis *auferri et in ovario deponi, prima rudimenta fœtus formare.*

DYSMENORRHŒA.

Dysmenorrhœa vel difficilis menstruatio est morbus, qui in multis fœminis antequam menstruatio incipit, plerumque dolor dorsi, capitis, inguinumque, sed hæc signa nequaquam gravia; quando ad periculosam crisin procedunt, et, fluxu mensium redeunte, dolor fit immodice vehemens, ita ut parvus vel nullus fluxus adsit, hæc constituunt dysmenorrhœam sive difficilem menstruationem.

Symptomata. Hæc symptomata vulgo comitantur, scilicet spasmi ventriculi; gravis dolor uteri auctus externa vi; caput et ventriculus oppressione uteri pariter moventur: fluxus parvarum cuticularium particularum ab utero manat, commistus coagulis et fibris plurimum similibus membranæ deciduæ; constipatio et suppressio urinæ sæpe manent. Mammæ quoque tumescunt et molestiam sentiunt; ingens dolor capitis, inguinum et imæ partis ventris; nausea, et vomitus, paroxysmusque hysteriæ ante aditum fluxus mensium sæpenumero accidunt.

CAUSÆ.

Inflammatio quædam internæ faciei uteri quæ constrictionem secretionis vasorum inducit, aut abnormis actio arteriarum ; causa quæ fibras aut cuticulares materias excitat haud bene intelligitur. Oportet me dicere proprium symptoma in hoc morbo accidere, viz. sensus quasi crura aquâ impleta essent.

PROGNOSIS.

Nulli morbo symptomata graviora sunt, aut quem eventus magis infelices subsequuntur, ægrota enim ob verecundiam, morbum, quo conflictatur periodice, celat, donec tandem in ætate provecta effectus sunt iidem, qui ex vita cælibe profluunt.

CURATIO.

Remedia in hoc morbo adhibita sunt similia iis suppressionis mensium. Localis abstractio sanguinis utilis putatur dum alii meritò culpant, et affirmant eam haud prodesse, et pessimos ef-

fectus usum sæpe sequi; Efficax catharticum detur apud solitum tempus Catameniorum reditus, immissio quoque pulmentaris enematis commisti cum tinct. opii bis in die prodest.

Decoct. Avenæ ℥x.
Tinct. Opii ʒiss.
Fiat enema bis in die utendum.

Post catharticum opiata, camphora, et nauseantia medicamenta dentur, repetitio antispasmodici fluxum mensium sine ulla molestia invenietur inferre; ut antispasmodicum hyoscyamus sæpe prodest, si nihil valeat, at paulo post repetatur, ut hoc exemplum docet.

℞. Ext. Opii pur. gr. i.
— Hyoscyam. gr. x.
Antim. Tartariz. grss.
Camphoræ gr. x.
M. fiant pilulæ tres quarum una omni hora, donec dolor sublevetur, sumatur.

Lanula proxima cuti indueretur; in Dysmenorrhœa et suppressione ab inflammatione, pediluvia et sessio supra vaporem calidæ aquæ sunt valde utilia. Omnes fœminæ obnoxiæ difficili menstruationi per totum tempus fluxûs in lecto decumbere debent, et calidas vesicas abdomini et laneum pedibus admoveri jubeamus. Chalybeata, tonica, &c. valent. Hisce rebus

prædictis, patet oculis nostrum propositum esse fluxum promovere et aberrationem a natura corrigere: viribus naturæ non nimis fidendum, nec contra debemus medicamentis nimis large et crebro uti, multum vis ex nostra parte constitutionem lædet, et parvam molestiæ obstructionem ad talem statum pervenire sinet, ut opera temporis ad fœminam restituendam pristinis viribus necesse erit.

MENORRHAGIA VEL MENSES IMMODICI.

Menorrhagia, ut nomen docet, fluxum mensium majorem quam natura decrevit indicat. Hoc morbum enervatum et minime gratum format, et frequentissimum omnium generum Hæmorrhagiæ. Hæmorrhagia vere dicitur, et aut activa, aut passiva invenitur; activa hæmorrhagia plerumque in iis fœminis evenit quæ validum corpus habent, et quæ sunt plenæ et plethoricæ; passiva in iis quarum habitus sunt laxi, et debilitati a Leucorrhœa, solicitudine, plurimis abortionibus aut puerperis localem debilitatem producentibus. Interdum fluxus immodicus evadit, præcipue in iis fœminis nobilibus, quæ expertes curæ sunt, et sese parum exercent.

SYMPTOMATA.

Menorrhagia indiciis communibus fluxui mensium sed in majori modo praeceditur. Cum a plethora oriatur dolor cum sensu ponderis circa inguina et rigor hypochondrii ; calor ; cephalalgia ; tinnitus aurium ; pulsus frequens, validus, et durus ; dolores volitantes, rheumaticis similes ; saepe pruritus omnis corporis adsunt : quum menorrhagia a locali affectione uteri aut ex debilitate infertur, pallor oris, algor extremorum ; laxitas fibrarum musculorum ; accelerata respiratio minimâ causâ ; ægritudo ; anorexia, dyspepsia, et multæ aliæ affectiones bene cognitæ nomine neurosium premant.

CAUSÆ.

Causæ sunt plethoricus status corporis, uterina congestione comitante, isque laxis fibris ; et imperfecto tono vasorum uteri saepe conjunctus ; abjectione spei, vehementi exercitatione, ictibus saltando ; cibo ; frigore cuti applicato, excessu veneris, difficilibus et tardis partibus,

multis abortibus incitatus. Affectiones organi sunt. Polypus, scirrhus, cancer, ulcera, &c.

DIAGNOSIS.

Menorrhagia ab aliis hæmorrhagiis facile dijudicabitur quia fluidum missum fibrinam non possidet, sed signum habet, quo inter purum sanguinem et fluxum mensium dignoscimus scilicet, non coagulatur.

CURATIO.

Primo inveniamus, an uterus morbo afficiatur, et si aliquis aderit; ea remedia seligamus, quae videntur optissima curationi. Indicationes in curatione menorrhagiæ sunt, auxiliari systemati et frenare morbum: Praeparata ferri myrrhæ, cinchonæ sunt utenda, frigidum balneum utile. Salina purgantia dentur omni mane cum tempus fluxus pervenerit. Opiatum enema adhibendum est; portio ol. ricini omni secundo vel tertio die et usus tinct. kino prosunt, ad fluxum diminuendum pars spongiæ introducitur in vaginam primum immersae in aliqua styptica solutione veluti in solutione aluminis et aquæ mistæ tinct. kino vel catechu aut in

solutione sulph. zinci vel sup. acet. plumb. Panni submersi in aequalibus partibus aceti et aquae labiis pudendi applicati sint. Enemata in vaginam aliquando injiciantur, praeparata ex decoctû quercus, vel decoctû Haematoxyli, opium refrigerantibus et astringentibus conjunctum est utile. Dr. THOMAS notat " opio debemus uti interne in menorrhagia, quando aegra spasmodicos dolores in utero sentit" et alia in parte memorat, " opium potestatem possidere large adhibitum corpus relaxandi, non oportere dari in generali debilitate." Regimen antiphlogisticum, omnis res, studium et alimenta, quae frequentiam accelerant, et impetum actionis cordis et arteriarum augent, sedulo caveantur. Denique levis cibus et nonnunquam equitatio, *abstinentia* a *frigida* lavatione ; usus medicatae aquae, potiones refrigeratoriae et acidulatae, aequa temperatura in cubiculo conservata, et in lecto decubitus plurimum valent et corpus corroborare, et ad pristinam sanitatem redigere.

Catamenia et morbos illius fluidi statim connexos paucis verbis tractavi, sed de cessatione mensium nihil dicam, nisi quod magna diligentia et cura a parte foeminae necessaria est et praecipue a parte medici, quia tempus, quo

menstruatio desinit, est periculosissimum, et, si idonea cautio non detur, multi perniciosi et lethiferi morbi saepe oriuntur.

FINIS.